

3001.

87.

FACULTATIS MEDICAE

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

H. T.

PROCANCELLARIVS

D. IOHANNES ERNESTVS
HEBENSTREIT

ANAT. ET CHIR. P. P. ORD.

DE METHODO PLANTARVM
EX FRVCTV OPTIMA

DISSERENS

PANEGYRIN MEDICAM

INDICIT.

Botan.

2. 5,30.

Botan. Vohl. 3. 2.

Botanica

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and bleed-through.



Quod in omni liberalium artium disciplina
primarium est, de rebus summi argu-
menti recte cogitare, scite eloqui, id,
quo facerent, omni tempore, rei her-
bariae Principes, animum induxerunt.
Quapropter in eo desudarunt omnes,
vt concinna aliqua, prout id cuique in
mentem venerat, methodo plantarum ordines insta-
rent, ita, vt inter omnes regni vegetabilis commentatores,
quin noua ratione plantarum seriem instruxerit, inuenias ne-
minem. Inde mirabilis sententiarum de eadem re discre-
pantia, lites etiam et rixosae contentiones, dum, quod pri-
mo loco dictum fuit alteri, alter, media aut huic proxima
aut vltima classe enarrandum esse duxit. Videas medio-
cris ingenii alios visos, nec tamen prorsus illiberales eruditos,
qui, tantum abest, vt hoc ipso plus proficiant, vt potius,
cum quo sentire aut eloqui fas sit, dubii, in ipso limine of-
fendant, retro pedem ferant, et turbine dissentientium in
praeceps rapiantur. Plerumque qui acute philosophantur
male docent;

*Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule ceratis ope daedalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina Ponto. ^{a)}*

Quapropter et diuinus Plato verborum sententiarumque perspicuitatem ingenio sapientum nihil derogare arbitratus est: Καλῶς γ' ὁ Σώκρατες, κ' αὖ διαφυλάξῃς τὸ μὴ σπευδάζειν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι, πλεσιώτερος εἰς τὸ γῆρας ἀναφανήσῃ φρονήσεως: ^{b)} Recte o Socrates, si continuabis verborum minus sollicitus esse, diuitior sapientia ad senectutem deuenies: Auerfantur potissimum Tyrones, quos ad amplissimam herbarum scientiam facili methodo inuitare decet, arduos de generibus conceptus, non nisi illi qui excogitauit intelligendos: Proinde et ego, ita mecum constitui, ne alia methodo quam quae hortulanis, herbariis, radifecis, ad digitos enumerari potest, id est facillima, in enarranda, quas noui, plantarum serie, vterer: Mihi Socrates loquitur, quem Plato inducit: Τὸ δὲ εὐχερὲς τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων καὶ μὴ δι' ἀκριβείας ἐξεταζόμενον, τὰ μὲν πολλὰ ἐκ ἀγενῆς ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τέττα ἐναντίον ἀνελεύθερον: ^{c)} Quod facile est in verbis et sententiis et quod acute non exponitur, ut plurimum non ignobile est, sed, quod huic contrarium, magis illiberale. Est mihi aliquis antiquiorum placitorum cultus, nec incongrue maiores nostros de rebus botanici argumenti elocutos fuisse, omni die intelligo, quos si nepotes excoluissent, iam haberemus de quo nobis gratulareremur omnes, methodum, prout esse eandem decet, facilem, perspicuam, vniuersalem: Mihi aliisque loquitur Aristoteles. ^{d)} Si Timotheus non fuisset, multum

a) Horat. Carm. L. IV. Od. 2.

b) Plato in Politico.

c) Plato in Theaeteto.

d) Aristot. Metaphys. L. 2. c. 1.

multum melodiae nequaquam habuiffemus, si tamen Phryne non fuiffet, nec Timotheus quidem extitiffet: Proponuntur in fcholis, nouis terminis, prout paffim in omni philofophia, ita et in re herbaria, antiquiores fententiae. Quapropter, quodfi ego optimam rei herbariae methodum, ab vltimo naturae fine, fructu, defumendam effe dixero, quamuis paucos mecum fentientes habiturus fim, non ita a recentiorum placitis longe abfum, vtpote quos nunc legimus, calycem ftamenque florum, fructus primordia adeoque et ipfum fructum in definitionibus plantarum expediendis respexiffe. Sic Caefalpinum, ^{e)} qui inter methodicos merito primus habetur non difficulter conciliabis cum eruditiffimis, quorum nunc fublime orationis genus admiramur, noftri feculi doctores, quod ille *factum* hi *fientem* fructum in ore habeant. Quicumque enim pistillum floris, calycem, ftamina, expectare potuit, haud difficulter ipfum fructum, cuius delineatio in hifce omnibus eft, paucis abhinc diebus appariturum, vt recte fciat, expectabit: Ita nunquam fatis laudandus Tournefortius cenfet, ^{f)} quamuis ille de flore femper primus difpexerit: *Si fructus, quo tempore flores explorantur nondum perfecti fuerint, intra paucos dies eorum ftructura indagabitur, imo ftatim pistilli aut calycis transuerfa fectione futuri fructus ftructura faepiffime cognofcitur paululum hac in re exercitatis*. Quapropter mirari neminem decet, qua factum fit, quod Caefalpini difcipulus Hermannus, ^{g)} illoque locupletior, maximo omnium defiderio nunc diuus, Herman-

e) Libr. XVI. de plantis. Florent. 1583. 4.

f) Iof. Pitt. Tournef. de optima methodo instituenda rei herbariae ad Guil. Sherard. Epistol. Paris. 1697. 8. p. 20.

g) Pauli Hermanni Flora altera. Lugd. B. 1695. 8.

VI

nus Boerhauius ^{h)}) methodi a fructu desumendae trium-
uiri, hunc ipsum fructum primo, florem proximo, illum
ad summa, hunc ad inferiora genera decernenda nominent,
quandoquidem fructui non autem flori futurae plantae ori-
go insit. Quis ignorat, aut male actum censet, quod
summa animalium genera, a partu, quem edunt, constituan-
tur, dum eadem in ouipera et viuipera recte dispecimus;
aut Zoographi ingenio carent, aut vera sunt quae Horatius
habet:

Laudantur simili prole puerperae. ⁱ⁾)

Sunt quaedam, quae floris primatum, quem tenet, du-
bium reddere possint, argumenta: Obloquitur petalorum
inconstantia: Cruciatæ quadrifidæ, *gallium*, *asperula*,
mollugo habent admixtos quinquifidos flores, *rutæ* me-
dius in corymbo flos pentapetalos existit: Post hexapeta-
los nullus est qui constantem petalorum numerum seruet;
ad æquiuocum polypetalorum terminum prouocamus:
Flores pleni, parum abest, quin omnem florum doctrinam
euertant, e quibus etiam raro nascuntur semina, vel prior
certe floris plenitudo, eorum segete, haud obtinetur; Ho-
malia vel anomalia, regularitate vel irregularitate florum
nihil vexatius; sunt quidam in ambiguo constituti flores,
veronicae, *menthae*, *verbasci blattariae*, vt, quorsum re-
feras dubitare liceat. Multi flores non sunt decidui, in
ornithogalo, *chrysoplenio*, *cucurbitaceo genere omni*, vt de
numero petalorum vix constet. Alii, ex compositorum
gente, dubium superesse sinunt, an radio gaudeant an eo-
dem destituantur, prout in *petasitide*, *matricaria*, *cotula*;
multis,

h) Index Plant. Horti Lugd. Bat. Lugd. B. 1610. 8. Index alter. ib.
1720. 4.

i) Carm. Lib. IV. Od. V.

multis id quod radius est, habetur sterile, vt *xeranthemo*, *belleboris*, *carlinae*, plurimis flos est nec compositus nec simplex, sed prout Knauthius, ^{k)} et Eruditissimus Adrianus van Royen ^{l)} eloquuntur, aggregatus, qualis est *eryngio*, *corno*, *dipsaco*, *sphaerantho*, *globulariae*: Nec raro regularis cum irregulari mixtus est, quale quid obseruare liceat in *tordylio*, *sphondylio dauco*, *coriandro*, *opulo*: pars florem in fructu habent, vt *figus*, pars flore ad sensum carent, *musci*, *lichenes*, *fungi*, *tubera*: Facile praeuideo, quae mihi haec scribenti obiici possint, ab ista, quam haud semel professus sum sententia, me praeter necessitatem nunc discedere, quandoquidem celeberrimus Linnaeus et nunquam satis laudandus Royenius me in numero eorum, qui floribus faueant, numerent; Verum sicut ista, quae flores dispicit methodus, parum per me adiuta fuit, ita tantum abest, vt floribus omnem significandi valorem derogare sustineam, vt potius ad genera subalterna constituenda iis nihil credam efficacius, prout nec Fabius Columna, nec Caesalpinus, nec Morisonus vel Raius aut Hermannus et Boerhauius iisdem carere vouerunt: Pro fructibus autem loquuntur omnia: Omnis vegetatio in fructu subsistit et ex eodem restauratur: Plurimae plantae solo fructu nobis innotescunt, quarum habitum externum vel flores ipsi vtriusque Indiae scrutatores obscure describunt. Piper, nux moschata, anthophyllus, anacardium, vaniglia, thea, cardamomum, fructu nos instruunt parumque fiduciae est, nos florem istorum aromatum conspecturos. Praeterea dum maxima de floribus inter omnes est disceptatio, in fructu omnes conspirant, et eo quidem res rediit, vt ob tricas nodosque inexplicabiles

k) Christ. Knauth. Enum. plant. circa Halam. Lips. 1687. 8.

l) Adriani van Royen Florae Leydenfis Prodrumus, Lugd. Bat. 1740. 8.

VIII

les quos nobis anthologi nectunt, simplicior vtut ab aliis minus trita frequensque via feligenda sit, fatiusque videatur cum olerum cultoribus expedite, clare et perspicue loqui, quam cum subtilioris ingenii viris acute philosophari: Postquam enim celeberrimus Carolus Linnaeus ^{m)} omnes felicissimi ingenii vires omnemque graeciam in florum doctrina exhausit, et inusitatis ante haec tempora terminis sexum et partes florum geniales exposuit, nouaeque hoc ipso omnibusque perquam acceptae methodi autor extitit, in hoc vno a veterum placitis non prorsus abhorreere visus est, quod fructificandi modum vtpote simplicissimum parum immutauerit, quapropter Celeberrimus ille Vir in partibus eorum, qui fructibus fauent, merito esse censetur, quod in disponendis generum suorum ordinibus non ad formam florum, non ad petalorum numerum, non ad compositionis rationem, quod anthologi faciunt, sed ad fructus primordia, pistillum et coniunctissima huic stamina, deinde ad calycem respexerit, locum scilicet, in quo vel iunctim vterque sexus, vel separatus alteruter inuenitur: Vnde haud raro termini a Linnaeo ingeniose excogitati, cum systemate seminum coincidunt, quamuis caeteroquin cum nemine conueniat: Monandria respondent monangiospermis, diandria diangiospermis et baccis quibusdam dipyrenis, trian-

m) Laudatissimi Auctoris, quibus suam methodum proposuit opera sunt

Systema Naturae, Lugd. B. 1735. fol.

Methodus sexualis, ibid. 1737. 8.

Genera plant. ibid. eod. 8.

Hortus Clyffortianus, ibid. eod. fol.

Flora Lapponica, ibid. eod. 8.

Critica Botanica, ibid. 1737. 8.

Classes plantarum, ibid. 1738. 8.

triandria sub se habent tricapsulares, tetrandria tetragynnospermas, digynia pentandria describunt femina bina nuda umbelliferarum, hexandria plerasque sexcapsulares bulbosi generis exhauriunt, possetque Hermannus facilius quam quicumque alius cum Linnaeo conciliari, a quo etiam terminos, quos caeteroquin omnes novos excogitavit, mutuos accipere dedignatus haud est, legasque inter polyandria eius, gymnospermia, angiosperma, siliquosa. Id certe in quamplurimis habemus floribus, quo stamina numero suo numerum feminum nudorum vel capsularum designent: Sic postquam principem hunc inter methodicos virum fructibus patronum dedi, habent illi de quo confidentius gloriari possint. Nec minus fructui fauet Batauorum lumen Royenius,ⁿ⁾ qui, quamuis in plerisque, florum admittat conditiones, *compositum et simplex, amentaceum, quod spatha continetur, capitatum, quinquifidum*, haud raro etiam cum Linnaeo loquatur, quem tamen multis parasangis perspicuitate anteuertit, in eo tamen etiam est, quo fructum pro constituendo aliquo genere summo saepe adhibeat: Sic fructus flore prior est eidem, in fructifloris, calycifloris, in quibus scilicet fructus cum flore simul est. Ad fructum primario respicit in leguminosis quibus deinde a florum conditione, inferiora genera adsignat: Nouum, isthaec a fructu desumpta methodus, patronum nata est Hallerum^{o)} Gottingensem, Poetam et Medicum famigeratissimum, qui castigatis omnibus, quotquot propositae hactenus fuerunt, plantarum ordinibus, solam Hermannianam a Boerhaauio correctam Raiana suffultam, sufficere

B

putat,

n) Laudatissimo Libro iam adducto.

o) Albertus Hallerus in Acad. Georgia Augusta Anat. Bot. et Chir. P.P. Ord. de methodico studio botanices absque praeceptore, Gottingae 1736. 4.

putat, quā quis, sine praeceptore, methodicum botanices studium aggredi ausit, quapropter plurimum interesse afferit, quo quis, plantae describendae suisque ordinibus addicendae, semina, *quoad figuram, numerum, sedem, colorem, odorem, saporem, magnitudinem* in scheda adumbret: Post auctoritates autem de rationibus dispiciendum est, quibus inducti Caesalpinus, Morifonus, Hermannus, Boerhaavius, Knauthius, Magnolius ^{p)} fructui primatum decreverint: Sola terminorum perspicuitas, habet quo methodum istam commendabilem reddere possit: Si enim in omni methodo, *veram classē quadam contentorum rationem paucis duntaxat litteris exprimi, quam sesquipedalibus classificarum nominum descriptionibus,* ^{q)} fatius est, certe pauci sunt qui non videant, plebeia nomina, *pyrum, malum, nux, glans, pomum, bacca, cucurbita*, adeoque et notiones *nuciferarum, glandiferarum, pomiferarum, bacciferarum*, vtpote quae nuditate et simplicitate sua placere possint, summi generis loco in quamplurimis esse posse, nec obesse quidpiam quo quis deinde a forma, magnitudine, feminibusque in fructu, non genera tantum sed et speciem quandoque definiat: Quotusquisque est qui non etiam artis nescius, pruna a cerasis poma a pyris cucurbitas a peponibus melopeponibus anguriis cucumere, primo statim intuitu distinguat? quod ideo dictum est, quo quis intelligat, optimam esse methodum, quae simplicissima: Quae exempla si cui plebeia visa fuerint, habiturus est in omni re herbaria fructum plantae suae iudicem. Experimur id praesenti anni tempestate, qua in spem fertilis anni semina terrae tradimus. Fit enim haud infrequenter, vt, si quis nostros ordines turbavit error, solo seminum intuitu corrigatur,

p) Petr. Magnol. Charact. Plant. nou. Monsp. 1720. 4.

q) Adr. Royen. l. c. p. 5.

gatur, nec genera tantum sed et species ex semine hariolamur. Conuoluuli flore albo itidem semen album, flore violaceo, nigrum obtinent; Lychnidum species non flore sed pericarpio et fructu, medicae solo fructus turbine, constant, idem iudicium esto de omnibus leguminosis: Varia femina luculento caractere signantur: Abrus et coral femine semper, flore rarius vsurpantur, phaseolum pruriginosum effectus prodit, cuius florem, quae climatis nostri est infelicitas, frustra expectamus. Sic et cum quam plurimis aliis exoticis fit, quorum femina nobis vnice seruantur, cum flores et noua fructificatio spem nostram eluserit: Equidem ille ego non sum, qui pro methodo ex fructu desumenda causam serio perorare sustineam, neque adeo in cineres Praeceptoris Riuini,^{r)} cuius methodum Patroni et amici suffulciunt,^{s)} iniurius sum, quo mathematicam isthanc, quae numeris et proportionibus, neutiquam autem imaginariis rerum conceptibus nititur, seriem deserere velim, negare tamen nequeo, characteres feminum, vtpote qui plebeios homines erudire possint, mihi post florem viuos fuisse reliquis plantarum conditionibus significantiores, imo vero lubricam esse ex flore instructam seriem, nisi fructus in subsidium vocetur. Quid enim impedit, quo minus aliquis duplici ordine, corpora naturalia disponat? In

B 2

historia

r) Augustus Quirinus Riuinus, Lipsiensium suo tempore lumen, mathematicae plantarum methodi, quae numerat, autor, inclaudit Operibus botanicis:

Ord. Pl. Fl. Monop. Irr. Lips. 1690. fol.

- - - Tetrap. Irr. ibid. 1691. fol.

- - - Pentap. Irreg. ibid. 1699. fol.

Superfunt anecdota: Ord. Pl. Fl. Hexap. Irreg. Fol. Suppl. Op.

Fol. Tyrocinium botanicum c. Fig. aeneis. 4.

s) Illustris Ioh. Heucherus Hort. Witteb. Witteb. 1711. 4. Amicissimus Chr. Gottl. Ludwigius Definit. Pl. Lips. 1737. 8.

historia conchyliorum, quam ingeniorum felicitas nondum turbavit, modo Listerum sequimur, modo Rumphium, istius disciplinae duumuiros; vtraque methodo recte enarramus, nec irascimur illi, qui secus dixerit aut fecerit. Quapropter priorem quam publicis schedis aliquoties professus sum sententiam mutasse haud videbor, si pro feminibus causam dixerero. Paucissima exempla adducam plantarum, quae solo femine constant et ex iisdem clare et perspicue definiuntur: Nec dubium est in reliquis omnibus, aliqua industria, rem eodem modo perfici posse.

I.

Monogynnosperma.

Rotundum *mirabilis*.
 Triangulare: *lapathum, acetosa, fagopyrum*.
 Corona membranacea *limonium*.
 Asperum *circaea, agrimonia*.
 Umbilicatum *locusta*.
 Papposum *valeriana*.
 Splendidum *persicaria*.
 Durissimum *lachryma iobi*.
 Esculentum in gluma, *omnia cerealia*.
 Esculentum in spatha *mays*.
 Et sic in reliquis
 Quibus conditionibus si addas calycem, spicam, paniculam aliosue nascendi modos, habiturus es luculenta diuisionum signa.

II.

Digynnosperma.

Aspera rotunda, *asperula cum speciebus*.
 Laeui testiculata, *mercurialis*.
 Instar plani haemisphaerici cohaerentia plus minus lata longa acuta aspera prout Morisonus et Riuius accurate descripserunt, *omne umbellarum genus*.

III.

Trigynnosperma.

Quo pauciora eo magis luculenta
 Longa *triglochim*.
 Rotunda, *thymelaea tricoccus*.
 Falcata *drymopogon*.

IV. Te-

IV.

Tetragymnosperma.

Aspera, diuersae formae non
difficiliter verbis expo-
nendae, *pulmonaria*, *sym-*
phytum, *cynoglossa*.

Lapidis instar dura, splendi-
da *lithospermum*.

Vmbilicata corolla membra-
nacea : *omphalodes*.

Odorata aromatica, verticil-
latae omnes, quas a caly-
cum, crescendi modo, for-
ma, figura, stigmatibus albo,
quod est in quibusdam
huius ordinis seminibus,
hortulani etiam famulus
distinxerit.

V.

Pentagymnosperma.

Gerania et gruinales, nisi
quinque capsularibus an-
numerare malis, quorum
signis accedit rostrum lon-
gum elasticum habitusque
papposus.

VI.

Polygymnosperma.

Setosa, *caryophyllata*.

Plumosa, *pulsatilla*, *anemone*.

Plumosa, vrentia, *flammula*
ionis.

In conum congesta, *ranunculi*.

In cono caudae muris aemu-
lo *myosuros*.

Papposa, *plantarum flore se-*
miflosculoso vel radiato.

Solida, *plantarum flore com-*
posito, quae, si diligentia
accesserit, a calycis forma,
squamoso eius, membra-
naceo, spinoso foliaceoue
habitu, definiri possunt.

Coronata membranacea, *sca-*
biosae.

Setosa, *cnicus*, *atractylis*, *ser-*
ratula.

In circulum apte disposita,
maluaceum genus, *feminu-*
da, *lauatera*.

Si nuda semina superaueris,
reliqua quae in vasculis
continentur, haud diffi-
cilter dignoscas :

I.

Monangiosperma.

In spatha, durae aequae ac
mollioris compagis fru-
ctus continente *palma-*
rum genus.

In capsula membranacea

Sine loculamentis, horizon-
taliter secta, *amaran-*
thus, rotunda sphaeri-

B 3

ca,

ca, *anagallis*, pyramidali *auricula*: et sic in reliquis.

Cum loculamentis, plurimis, *papauer*: Seminibus placentae affixis, *lychnis* etc.

II.

Capsula Bipartita.

In qua semen papposum, quadrifariam dehiscente, *lysimachia*, bifariam dehiscente, *apocynum*, *vincetoxicum*, *oleander*, quorum differentiam diameter capsulae indicat.

In qua semen solidum

Capsula Cornuta

Saxifragia, *geum*.

Capsula personata, *antirrhinum*, *linaria*, *cymbalaria*, *elatine*, coniunctissima genera.

Capsula plana, *crista galli*.

Capsula gemella *veronica*.

Capsula pyramidalis *digitalis*.

Bipartita, semine volatilis saporis turgida quo titulo notamus totum *antiscorbuticarum* genus.

III.

Capsula tripartita.

Tribus fenestris dehiscente *campanula*.

Rotunda *coniolumulus*.

Tripartita equidem sed sex loculamentis diuisa, omne bulbosorum et tuberosorum genus, quod feminum forma accurate distinguitur.

Tripartita, quae baccas habet, *xyris*

Tricocca, *Ricini*, *esulae*.

Trinuci *hippocastanum*: et reliqua.

IV.

Capsula quadrupartita.

Longa quadrifariam dehiscente *onagra*.

Rotunda spinosa *stramoneum*

Quadricorni *philadelphus*.

Semine odorato *vitex*.

V.

Capsula quinquepartita.

Cornuta *ketmia*, *bammia* etc.

VI.

Capsula sexpartita.

Longiore *aristolochia*.

Rotun-

Rotunda *asarum*.

Personata *orchis*.

VII.

Capsula multiplici.

Cornuta *nigella*.

Cornuta distinctis capsulis
aquilegia.

Pyramidalis magna, *nymphaea*.

Rotunda, quam calyptra te-
git, *abutilon*.

VIII.

*Capsula bivalui, quae
siliqua.*

Simplici cauo, *legumina*, quae
a minima *fumariae* siliqua

ad longissimam *foenu graeci*
et *securidacae*, iuxta pa-
riter luculentas formas,
falcatas, tornatiles, hispi-
das, lanuginosas aliasque,
si quod aliud genus, recte
distingui possunt.

Habent potissimum, de quo sibi
gratulentur, plantae capsula
carnosa iuxta magnitudines
diuidendae:

Cucurbitaceae

Cucumerinae

Pomiferae

Bacciferae.

Sed et numerus arillorum, et petioli cui insistent, longitudo et
forma crescendi, et sapor et sexcenta alia mathematici conceptus,
limpidissimam generum declarationem in hac classe exhibent.
Sic etiam nuciferae, glandiferae, strobiliferae pro se ipsis cau-
sam dicunt. Quod muscos, lichenes, lycoperda, tubera attinet,
quorum femina puluerulenta sunt, ita semper arbitratus sum, cum
accuratissimam etiam anthologorum methodum respuant, nihil
esse quod exinde fructibus obiici possit, siquidem optimi quicun-
que autores de vegetabilibus istis seorsim elocuti fuerint: Plan-
tae autem epiphyllispermae, ex situ varioque positu, quo folio-
rum suorum parti auersae inhaerent, accurate iudicantur: Equi-
dem facile praeuideo, quae methodo a fructibus defumtae obi-
ici possint: Fructum non semper habemus; variae plantae no-
stris in terris ad fructificationem haud perueniunt: Audio ce-
leberrimum Knauthium qui femina nulla nuda omnia capsulis
suis obuoluta dixerat: Nec anomaliae defunt huic, classes dispo-
nendi modo. Verum eam methodum optimam cum censeamus,
quae parum, non quae nihil heteroclitici alat, cum etiam meliora
non proferant florum patroni, nondum causa sua cecidisse pu-
tanda

tanda est fructificatio. Id vnicum est quod carpologi patiuntur humani, quod minus eleganter, minus acute et ratione ad palatum vulgi composita, eloquantur. Interea methodum aiunt esse liberam, et quacunque quis via memoriam adiuuerit, dummodo sibi sapiat, reliquis impune desipiet: fecit mihi tenui huic opellae opportunitatem

Vir Iuuenis praeclarissimus ac doctissimus

DN. IOHANNES ANDREAS VETTE,

Cibinio - Transiluanus

Medicinae Baccalaureus dignissimus

Qui rebus cum laude feliciter gestis, defunctus, quos agendos suscepit laboribus academicis et animi cultura ad colophonem deducta, luculentum suae industriae documentum ex *alma* hac nostra, quam sua praesentia ornauit, in patriam auferre statuit. Quapropter ab ordine nostro ad summos in arte honores adspirandi facultatem et petiit, et bene meritus obtinuit. Postquam enim talem se nobis exhibuit, quales nostros omnes volumus, probum, modestum, sapientem virum, artis suae recte conscium, facere non potuimus, quin morum elegantiam et scientiae salutaris suppellectilem nostro testaremur suffragio, et publicam hanc eidem decerneremus laudis et honorum proxime a nobis obtinendorum tesseram: Id vnum superest, quo priuatam, et nobis utroque examine comprobata doctrinam, nunc in publicum efferat et elegantem suam *de noxis ex cohibita suppuratione* dissertationem masculae defendat: Diximus illi diem IV. Maii, quo publico specimine edito, voto suo ex asse potietur, habiturus, summos in arte honores impetrandi LICENTIAM: Huius solennitatis moderandae Auctoritatem postquam obtinui, id mihi datum sentio, quo VOS RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, *Illustrissimi Comites, utriusque reipublicae proceres Generosissimi ac Nobilissimi ciues academici*, qua par est humanitate rogatos velim, quo vestra praesentia Candidato nostro gratum praestare officium haud dedignemini; qua in re et nostro ordini rem acceptissimam feceritis. Dabam Lipsiae Dominica Misericordias Domini MDCCXL.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.